

Petrus Lotichius Secundus Solitariensis,
academiae Heidelbergensis olim decus.

Οἱ ποιηταὶ γὰρ ἡμῶν ὥσπερ πατέρες
τῆς σοφίας εἰσὶ καὶ ἡγεμόνες.

Plato in Lyside ed. Bipont. p. 233.

Exeunte XV. ineunteque XVI. p. Chr. saeculo, posteaquam veterum scriptorum opera longinquo situ antea obruta in lucem revocari eruditaeque antiquitatis studia praeclare reflorescere coeperunt, quis nescit, quam multi nostrates et ingenio et doctrina abundantes viri humanitatis studiorum novitate ac magnificentia adeo ad egregios illos Graecarum Romanarumque litterarum duces et signiferos studiosè imitandos inflammati fuerint, ut ad unum fere omnes vernaculam linguam penitus repudiarint? Quod qui moleste ferant, cum adhuc usque nunquam defuerunt, tum omni tempore prudentissimus quisque dolebit. Quid enim? si Agricola, Conradus Celtes, Henricus Bebelius, si Eobanus Hessus, Jacobus Micyllus, Euricius Cordus, David Chytraeus, Paulus Melissus, si denique ipse Laurentius Rhodomannus et alii divino spiritu ornati viri nostris quam Graecis Romanisque litteris studia sua et sollertiam non modo tantam quantam soluto praecipue sermoni Ulricus Huttenus maximeque Lutherus, sed modicam adhibere maluissent: nonne fieri potuit, ut iam tum litterae nostrae laete renascerentur? Neminem credo contra esse dicturum. Nunc autem ipso illo vernaculae linguae fastidio factum est, ut gens nostra vehementissime insuper domesticis illis tempestatibus agitata, quae doctrina Christiana reformata excitatae erant, in foedissimam mox et morum et sermonis immanitatem incideret et duobus saeculis interpositis tarde demum Britannos et Francogallos aequare posset ac superare. Ea de causa nostra potissimum in gente permulti existerunt, qui in illis, quos supra nominavi, poetis virisque doctis non tam veterum nimiam admirationem despiciendam et risu quodam leni excipiendam, sed temerariam domesticarum litterarum contempionem summopere vituperandam esse existimarent. Velut egregius ille vir G. G. Gervinus¹, hisce verbis usus: *Wie war es ewig Schade, dass Hutten's Vorgang, Deutsch zu dichten, so wenig Nachahmer fand unter den Gelehrten! Es ist doch ein kleinliches Geschlecht, diese Büchermänner! Weil sie sich im sechzehnten Jahrhundert im Deutschschreiben alle vor Hans Sachs bücken mussten, so schrieben viele trotz dem dringendsten Bedürfnisse, und gerade die, welche die Dringlichkeit des Bedürfnisses am meisten empfanden, lieber Latein.* Attamen Gervini iudicium non videtur aequi existimatoris esse; cui adstipulari ego quidem non possum. Facillime enim mente percipimus, hominum litteratorum animos illis temporibus, quibus splendidissima antiquitatis

¹ Geschichte der poet. National-Literatur der D., Leipz. 1838. III. p. 77.

monumenta continuo fortunae beneficio ab oblivione vindicarentur mediaeque aetatis caligini clarissimum subito lumen obicerent, mira eorum venustate et elegantia tantopere captos fuisse, ut non legendi solum, sed etiam aemulandi laudem studiosissime appetent. Maxime vero illud moneo: nova quae tum visa in mentibus hominum orerentur, novam quoque qua explicarentur orationis formam postulasse. Atqui nostra lingua illa aetate nondum ea erat, quae novam eiusmodi formam novis visis explanandis satis idoneam suppeditaret. Namque sermo Germanicus quis ignorat quanta tum fuerit tarditate, asperitate, inconstantia? Minime igitur mirandum est, quod sermo Latinus, qui quidem unus maxime solidus ac consummatus esse videbatur, priscis illis Germanorum poetis multo magis in scribendo quam ipsa vernacula lingua arridebat. Ac profecto quodnam salubrius hominibus, quorum animi scholasticorum ieiunis dogmatis et nugis obruebantur magis quam excitabantur, ingenii pabulum praeberi potuit, quam veterum litterarum disciplina? Ne plura. Testem sine dubio locupletissimum adhibere licet. Ipse enim Goethe loco quodam², ad quem Classenius, magister summe venerandus, nos reiecit, sic sententiae meae patrocinator: „*Einer freieren Weltansicht, die der Deutsche sich zu verkümmern auf dem Wege ist, würde sehr zu statten kommen, wenn ein junger Gelehrter das wahrhaft poetische Verdienst zu würdigen unternähme, welches deutsche Dichter in der Lateinischen Sprache seit drei Jahrhunderten an den Tag gegeben. Es würde daraus hervorgehen, dass der Deutsche sich treu bleibt, und wenn er auch mit fremden Zungen spricht.*“ Proinde honorem habeamus illorum virorum memoriae, qui etiamsi sermonem reiciebant, tamen nunquam Germanici esse desierunt. Etenim licet externam speciem prae se tulerint, semper eos quaecunque agerent et scriberent cum optimis nostrae gentis viris sensisse animadverteris.

Sed veniamus ad id, quod hac in commentatione nobis est propositum.

In adolescentium illorum ingeniosissimorum numero, qui primis XVI saeculi decenniis in academiis mirifice tum efflorescentibus Wittenbergensi et Lipsiensi studiosi et assidui Lutheri, Melancthonis, Camerarii aliorumque auditores fuisse feruntur, unus etiam fuit, cui singulari modo obtigit, ut, cum non solum a plerisque suis aequalibus in litteris ac poësi versantibus, sed etiam a criticis usque ad Martini Opitzii et Petri Burmanni tempora vel ipsi Eobano Hesso praeponeretur, idem ab aliis vix nominaretur: Petrus Lotichius Secundus. Ipse ego cum iudicia aliquando de Lotichio a viris quibusdam admirabili eruditionis variae copia excellentissimis percontatus essem, qui terram Visurgi flumini finitimam habitarent, praeclare rem se habuisse memini, si quis nomen illius poetae cognitum haberet. Plerique etiam nominis ignari fuerunt. Contra Oxoniae unus ex amicis meis Britannicis ita Lotichii mentionem fecit, ut humanistarum, qui vocantur, principibus adnumerare eum videretur. Inscitiam autem illius nominis eo magis tum admiratus sum, quod mihi quidem iam puero opera Lotichii Secundi in manibus fuerant, nomen vero non mihi soli notissimum erat, sed omnibus iis, qui mecum Solitariis et Francofurti eorundem gymnasiorum discipuli fuerant, in quibus ipse ille primis olim litterarum rudimentis imbutus est. Sed accuratius postea de Lotichio quae renti mihi occurrerunt recentiorum quoque criticorum iudicia, quae haud parvam illius existimationem exhiberent. Itaque incitatus sum, ut vitae eius varias vicissitudines breviter depingere paucisque poseos Lotichianae speciminibus expromptis iudicia de eo spectatorum quorundam criticorum subiungere conarer. Ac si quid ipse de Lotichio sentiam dicere licet, non dubito, quin et carmina eius et epistulae, cum propter sermonis elegan-

² Kunst und Alterthum. I, 3. 45. Werke vol. 45. p. 137. —

tiam ac politoris humanitatis laudem, tum propter rerum, de quibus scribit, utilitatem atque varietatem adulescentibus animo alacrioribus iure possint commendari.

Editionum, quae exstant, Lotichianorum poematum prima, quae quidem elegiarum et carminum iuveniliū tantum duos libros continet, Lutetiae ab ipso emissa est prodiitque ex officina Vascosani a. 1551.

Altera publici iuris facta est Lugduni Batavorum a. 1554.

Secutae sunt editiones tres Lipsienses, quarum primam Joachimus Camerarius a. 1561, alteram a. 1586 curavit; tertiam a. 1609 emisit prolixissimaque Lotichii vita auxit Joannes Hagiū medicus.

Deinde post longum temporis intervallum eruditissimus ille veterum poetarum recentiorumque auctorum spectator Petrus Burmannus Secundus locupletissimam paravit editionem operum Lotichii Secundi omnium Amstelodami a. 1752, 2 vol. formae quartanariae, in qua non minore studio atque amore singula poemata doctis illustravit annotationibus, quam si Tibullus vel Naso vel alius veterum poetarum esset adornandus.

Novissima autem, quod sciam, editio nitidissima F. T. Friedemanni ex officina prodiit Teubner. Lipsiae a. 1840.

Ad illustrandam Lotichii vitam his potissimum scriptis usus sum:

Petri Lotichii Secundi Solitariensis, opera omnia, recensuit Petrus Burmannus Secundus.

Amstelodami, 1754. 2 vol. 4.

Camerarii, Joach., de vita Philippi Melanchthonis narratio. Lips. 1566. 8.

Eiusdem, narratio de Eobano Hesso, Lips. 1553. 8.

Classen, J., Jacobus Micyllus, Frankfurt a M. 1858. 8.

Hautz, Geschichte der Universität Heidelberg. Mannheim, 1864. 8.

Rullmann, J., Beiträge zur ältern Geschichte des Klosters Schlüchtern. (Zeitschrift des Vereins für hessische Geschichte und Landeskunde, Kassel, 1871.)

I.

Petrus Lotichius, cognomine Secundus, natus est anno millesimo quingentesimo vicesimo octavo a. d. IV Non. Nov. Solitariis in terra Hessiaca, quod oppidum situm est qua parte olim Hanoici comitatus territorium agri Fuldensis fines attingebat. A Francofurto XXXV, ab Herfeldo XXV, ab Ulrici Hutteni arce Steckelberg abest V millia passuum. Parentes Lotichii, etsi, ut agricolae, haud lauta in re constituti erant, tamen filii ingenio probe informando consulebant. Namque prima ei litterarum initia tradidit Petrus Lotichius patruus, qui monasterio Solitariensi¹ praefectus erat idemque omnium coenobii antistitem longe praestantissimus, quippe qui non modo praeclari gymnasii Solitariensis² et conditor et gubernator esset, verum etiam Martini Lutheri, quae tum propagabantur, dogmata summo studio amplexus Philippo Melanchthone adiuvante disciplinas scholasticas emendaret et fidem Christianam in coenobio suo totaque illa regione feliciter instauraret.

¹ Monasterium Solitariense a Pipino, Caroli Magni patre, olim Bonifacio auctore apostolo, qui amoenissimae illius vallis solitudinem ipse perlustraverat, anno 755 conditum monachisque Benedicti regulam sequentibus traditum esse omnes annales Solitarienses consentiunt.

² Ludus ille litterarum, postquam ab illo tempore ad nostram fere usque aetatem humaniorum, quae appellant, studiorum laude floruit, anno 1829 Guilielmo II, Hessorum principe, funditus immutatus et progymnasiorum ordini adscriptus est.

Hoc igitur praeceptore Petrus cum grammatices elementa facile arripisset, a patruo Francofurtum missus est, ubi tum sub faustis eruditissimi philologi Jacobi Micylli auspiciis schola urbica florebat. Huius viri vitam, quamquam omnibus sine dubio nota est, tamen paucis verbis hic enarrandam esse censui, propterea quod Petrus Lotichius, quoad vixit, semper fere iucundissima eius familiaritate usus est. Constat Jacobum Micyllum natum esse Argentorati anno 1503. Gentilicio quidem cognomine Moltzer s. Möltzer appellabatur, Micylli vero nomen e dialogo quodam Luciani Erfordiae scaenice acto acceperat, in quo tanto cum applausu auditorum recitaverat, ut illius personae, quam gesserat, cognomen postea ei maneret. Quindecim annos natus Erfordensem adiit academiam, quae tum praeter ceteras Germaniae universitates studiorum cultu excellebat. Nam ab ineunte saeculo XV. ibi initium factum erat colendarum illarum, quas humaniores appellamus, litterarum. Jam vero illo potissimum tempore iuvenibus optimarum artium studiosis referta erat, quos quidem Eurici Cordi, Georgii Spalatini, Croti Rubiani, Mutiani Rufi, Ulrici Hutteni, Eobani Hessi nominum fama alliciebat invitabatque ut in haec musarum recessum vel discendi causa vel ad visendos saltem illos migrarent.¹

Ac Micyllus quidem illic amorem sibi conciliavit cum Eobani Hessi, qui inter professores eminebat praestantissimus, tum Joachimi Camerarii, quibuscum et studiorum et voluntatis constantissimam consuetudinem iniiit. Cum autem studiorum spatia in aliis quibusdam Germaniae academiis decurrisset, anno 1526 Francofurtum a senatu vocatus scholaeque nuper ibi institutae praefectus patriciorum pueros per sex deinde annos litteris Graecis Latinisque summa cum laude instituit. Tum anno 1532, ubi primum debita doctrinae eius gloria longe lateque in patriam diffusa est, Heidelbergae Graecarum litterarum professionem, quam diu exoptaverat, obtinuit et publicus atque ordinarius litterarum professor constitutus est. Sed quattuor vixdum annis post luculentis a senatu Francofurtensi condicionibus invitatus denuo munus scholasticum subiit. Postremo anno 1547 cum Smalcaldici, quod appellant, belli motibus et doctrina Lutherana omnis turbaretur Germania, epistula principis Friderici II, liberalissimi musarum fautoris, arcessitus Graecas literas publice tradendas iterum suscepit eoque munere, dum vita suppetebat, summo studio atque animo functus est. Supremum diem obiit d. 28. Octobris mensis 1558, anno suo aetatis quinquagesimo quinto.

Huic viro non minus ingenii sollertia et admirabili doctrinae accuratae variaequae copia quam animi candore excellentissimo quid schola, quid Academia, quid denique omnes tum optimarum artium studiosi debuerint, et virium mearum infirmitas, quominus fusius hic enarrem et huius libelli angustiae obstant. Qualis vero fuerit Jacobus Micyllus et philologus et poeta, quam admirabilis in variis vitae necessitudinibus, quantum adulescentium ingeniiis excolendis laudem consecutus sit, quam multum ad augendam celeberrimae academiae Heidelbergensis dignitatem et auctoritatem contulerit, id non modo multa, quae exstant, opera et ligata et soluta oratione scripta, verum etiam iudicia praestantissimorum illius aetatis hominum luculenter testantur. Quorum princeps Philippus Melanchthon Micylli amici laudes his verbis² est amplexus: „Micyllus omnium professorum in Graeco et Latino sermone fuit eruditissimus, bonus mathematicus, optimus in ligata et soluta oratione scriptor, praeclare doctus in erudita musica, idem iurisconsultus.“ Atque in epistula, quae est ad Justinianum ab Holtzhausen, patricium Franco-

¹ Micylli Sylvae, III, p. 202.

² Postilla evangelica Hannov. 1694; 8. T. III. p. 661.

furtensem, haec scribit: „Est autem Micylli non tantum eruditio digna favore, sed mores etiam sic amabiles, ut ornare eruditionem queant. Quorundam mores officiant aestimationi litterarum: at Micylli modestia et diligentia in omni genere multo cariores reddere litteras omnibus viris potest.“ Atque ipse Lotichius qui quidem a prima usque adulescentia intima cum Micyllo familiaritate coniunctus unus omnium maxime semper eum observavit et coluit, dilectissimi praeceptoris laudes celebravit et vita defunctum praeclaro carmine prosecutus est, ex quo sumptos aliquot versiculos in Appendice subiunximus. ¹

Sed ad Lotichium redeamus, quem Francofurti in Micylli domo reliquimus. Tali igitur magistro usus mirum mehercule non est, quod ille, qua fuit ingenii alacritate et vigore, brevissimo tempore tantos processus efficeret, ut non modo commentationibus suis pedestri oratione compositis, sed etiam poetarum elegiacorum imitationibus ceteros suos commilitones longe superaret. Accessit consuetudo atque amicitia Joannis Pedionei Rheti, poetae laureati, qui cum complures per annos antistitis Solitariensis hospitio uteretur, ingenii igniculis, qui in Petro puero latebant, perspectis eximias eius ad carmina condenda facultates expedit diligentissimeque sustentavit. Vixdum igitur sedecim annos natus academiam adiit Marburgensem, qua tamen in re observandum est, academias illis temporibus a gymnasiis haud satis fuisse distinctas, ideoque plurimos etiam discipulos parum adultos ad studia se contulisse academica eaque per sex vel decem annos coluisse comperimus. Testimonio sunt Camerarius, Melanchthon, Eobanus Hessus, alii multi. Ceterum venerabilis monasterii Solitariensis abbas Marburgi praeter patrualem sex vel septem iuvenes humanarum litterarum studiosos suis sumptibus liberalissime alebat eo consilio, ut ipsum absolutis studiis in perferendis scholastici muneris laboribus — gymnasio enim praeerat — adiuverent.

Civibus adscriptus academicis Lotichius aliquam otii partem in studio artis medicinae posuisse videtur, quae quidem non ita multo ante illud tempus una cum renatis, quas humaniores appellamus, litteris reflorescere coeperat. Namque per omnia mediae aetatis saecula haudquaquam illa tamquam una ex academicis disciplinis tractabatur, sed cum penes monachos et collegia pharmacopolarum esset, non tam gravis et severa ars, quam ridicula quaedam superstitio et fraus esse videbatur. Quae cum ita essent, eo maiore laude academiarum et Italicarum et Gallicarum aliquot honorifice nominandae esse videntur, ubi instituendae instaurandaeque artis medicinae studiis tantam multi navarunt operam, ut disciplina illa exeunte XV. saeculo inter ceteras locum suum obtineret. Bononiam, Pataviam, Montepessulanum nominasse sat erit, unde cum ceteris litteris renata etiam Aesculapii disciplina in Germaniam immigravit.

Quod vero Lotichium nostrum attinet, nullus dubito, quin Apollinis et Minervae frequentior, quam Aesculapii cultor in philosophiae potissimum et poeticae oratoriaeque artis studium incubuerit. Idque duae elegiae Marburgi editae a. 1544 testari videntur, quas etsi iuvenilis aetatis vestigia ostendunt, tamen prorsus silentio non praetereundas

¹ Nostrum esse putavimus profiteri, quanta cum voluptate quantoque fructu Joannis Classeni, praeceptoris nostri, de Micylla vita scriptisque libellum perlegerimus. (Frankfurt a/M. 1858).

Ex tot Micylli operibus, quae cuncta enumerare longum est, duorum quidem mentionem facere lubet, quorum alterum philologicum: Homeri Ilias et Odyssea cum scholiis Graecis, Porphyrii Homericarum quaestionum libro et opusculo de antro Nympharum graece ex recognitione Jac. Micyli et Camerarii, Basileae, 1551, alterum carmen elegantissimum adolescentibusque commendandum: Hodoeporicon sive Itinerarium Wittenberg—Francofurtum, v. 690.

esse putavimus. Est autem altera ¹ ad 'Gulielmum, inclytum Hessorum Principis Filium, patriae decus', altera ² Jacobi Micylli laudes decantat, cuius carminis argumentum ad normam primae elegiae Tristium Nasonis et Tibulli fortasse primae libri tertii formatum esse satis patet.

Utrumque carmen, ut supra diximus, publicatum est anno 1544; anno autem qui secutus est, Nicolaus quidam professor Marburgensis in epistula ³ ad Lotichium abbatem data de patrueli hoc profert iudicium: „Misisti ad nos inter alios nepotem Petrum, adulescentem egregium, qui ad carmen natus, naturae coniunxit industriam. Nec dubito, quin mediocres poetas ita iam vix annorum XVIII aequet, ut mox sit cum summis regnaturus. Nihil in illo submissum, nihil non generosum, nihil non sublime et arduosum.“

Sic primo peracto triennio Lotichius Saxoniarum academiarum fama invitatus primum Lipsiam profectus est, ubi Joachimo Camerario insignem operam navabat, deinde Wittenbergam adiit, quo Philippi Melanchthonis audiendi cognoscendique causa e totius fere Europae regionibus studiosi viri et iuvenes advolabant. Petrus autem Lotichius ab egregiis illis duobus viris propter morum concinnitatem et communem patrii amicitiam benigne receptus utriusque favorem atque gratiam ita conciliavit, ut posthac per omne vitae spatium singularis inter eos usus necessitudinis intercederet. Quid vero ipsi de ingenio Petri poetico sentirent, amplissima utriusque testimonia epistulis prodita demonstrant. Neque minus iucundam eodem tempore iunxit consuetudinem cum Georgio Fabricio, clarissimo scholae Misenensis rectore, itemque cum poetis elegiacis Stigelio et Sabino, quorum postea memoriam carminibus celebravit. Jam vero Smalcaldico bello paulo post Martini Lutheri mortem exorto a. 1546, cum Carolus imperator Lutheri dogmata caeco odio aversatus Joanni Friderico, Saxoniae et Philippo, Hessiae principibus, novarum opinionum strenuis sectatoribus doctrinaeque evangelicae vindicibus infesta arma intulisset, et pleraeque Germaniae regiones armis perstreperent civilibus, permulti iuvenes, inter quos et ipse Lotichius fuit, Melanchthonem aliosque nonnullos academiae Wittenbergensis professores secuti Magdeburgum confugerunt, quam peregrinationem Petrus his versibus memoriae prodidit: ⁴

Leucoreae ⁵ Phoebus cum moenia linqueret urbis,
 Doctaque Pierias turba secuta deas,
 Urbs vetus exceptit belli terrore fugatas,
 Fluminis in ripa quae iacet, Albi, tui.
 Hic ubi Rolandi gladium stat habentis imago,
 Et sedet in niveo conditor urbis equo.
 Ergo quod exsulis mitis fuit illa Camoenis,
 Et placidas sedes hospitiumque dedit,
 Dives opum semper tranquilla pace fruatur,
 Et requiem, Musis quam tulit, ipsa ferat.

At postquam Melanchthon alumnorum magna caterva comitante tutiora loca petiit, Lotichius et doctrinae evangelicae sectator et magno erga communem patriam accensus amore cum paucis sodalibus lyram lorica mutare constituit Mavortiaque castra

¹ Eleg. lib. VI, 28. v. 98.

² Ibid. lib. VI, 29. v. 78.

³ Epist. P. Lotichii Abbatis. Marburg. 1640. pag. 104.

⁴ Eleg. lib. VI, 32.

⁵ Wittenberg.

secutus est. Pacis vero mox aliqua spe apparente militiae laboribus perfunctus Erfordiam contendit a. 1548. Ceterum ne inter armorum quidem strepitum camenarum eum immemorem fuisse elegiae perquam elegantes testantur, inter quas praecipue sunt nominandae Eleg. lib. I. 2 de re militari; lib. I. 6 de se aegrotante; lib. I. 8 de diuturnitate belli et hostium crudelitate; lib. I. 4 de obitu patris cuius amissi luctum his versibus¹ testatur lectu dignis:

Nunc etiam tristi consumptum morte parentem
Nunciat e patrio Fama relata solo.
Occidit infelix, dum me fera bella sequentem
Albis ad indomitas castra morantur aquas.
At mihi felicem reditum, patre sospite, demens
Fingebam, niveos pace ferente dies.

Si tamen et lacrimis cineres placantur et umbrae,
Placata es lacrimis, umbra paterna, meis.
Carminibus lacrimas addo lacrimisque dolorem,
Et galea madidas oculo saepe genas.
Tu castos inter coetus animasque piorum
Aetheris in pura luce beatus agis.
Unigenamque Deum maiestatemque verendam
Adspicis, aeternis perfruerisque bonis.

Viribus sodalium cura diligentiaque Erfordiae refectis Lotichius iterum Wittenbergam reversus Melanchthonem consecutus est, qui tunc in epistula quadam² ad abbatem Solitariensem data cum alia, tum haec verba scripsit: „Petrus tuus magno ornamento est academiae nostrae, ut edita ab ipso carmina ostendunt. Ac vicissim libenter nos ipsum ornabimus.“ Inde magisterii honore rite ornatus a venerabili patruo revocatus anno 1550 Solitaria in patriam urbem revertit. Pace autem facta amicos his lepidissimis³ versibus redux salutavit:

Cingite, io, lauri, ter io, mea cingite, lauri,
Tempora: Finito proelia Marte silent.
Nunc funesta mihi, vix possum credere tantum,
Arma licet, facta pace, referre domum.
Nunc scio, tranquillae quam sint bona commoda pacis,
Bellaque sint terris quale cruenta malum.
Proderit hoc olim prima didicisse iuventa,
Martis inexpertis dulce videtur opus.
Este salutati, quos sum complexus, amici,
Sive quis in studiis, seu tulit arma simul
Vos ego nunc, animi pars nostri magna, relinquam,
Natalis repetens dulcia rura soli.
Castra valet, valet enses, vale, hospita tellus,
Et nemus et lacrimis conscia ripa meis.
Vos quoque, consortes operum, quos nuper acerbo
Funere Mars hausit turbidus ante diem!
Illustres, salvete, animae, longumque valet,
Tuque, sed, heu, fractis cornibus, Albi, vale.

¹ Ibid. v. 11—16; 57—64.

² Burmann. Ep. I. 1.

³ Eleg. lib. I, 11. v. 1.

II.

Solitariis aliquamdiu moratus Lotichius firmata iam valetudine cum litteris Camerarii commendaticii Virceburgum profectus est ad Danielem Stibarum, ordinis canonicorum primarium, virum nobilem ac liberalium litterarum amantissimum. Is Petrum nepotibus suis admodum pueris praeceptorem praefecit et studiorum absolvendorum causa in Galliam misit. Illud autem iam pridem Lotichio in optatis fuerat, ut et illustres Italiae et Galliae viros salutare et clarissimas illarum terrarum academias, ubi medicinae scientiam locupletaret atque coleret, adire sibi liceret. „Primum, ut ait ipse, ut celeberrimum et sodalium non paucorum vocibus Italiae etiam pulchrae praelatum Galliarum regnum aspicerem, praecipue Massiliam, pulchram ac venustam Graecorum Jonum coloniam, primam exsulum sedem et portum. Deinde multo magis ut aspicerem Mompelii divinos agros et hortos medicos; tertium, nec minimum erat, id scilicet ut viderem hominum doctorum ac studiosorum ex orbe toto confluentium quasi mundum ac scientiarum omnium locupletissimum emporium regium Lutetiam Parisiorum.“ Ac primum quidem iuvenesse enim Lotichius non maior tum XXI annos natus fuit — Lutetiam sese contulerunt, qua in urbe iam tum illustri laude celebrata diligenter collustranda unum fere mensem consumpserunt; Petrus autem carminum quoque suorum primum fasciculum, id quod ex epistula¹ ad patruum missa elucet, typis exprimendum curavit. Epistolam illam dignam esse putavi, quae integra cum lectore communicaretur. „Mitto ad te, clarissime vir et patrone observande, libellum carminum meorum, quem D. Stibaro inscripsi, non quod lecturum quicquam te putem, quod ingenium tuum limatum et politum delectare possit, sed ut memoriam me beneficiorum tuorum sanctissime consecrare, intelligas; quamvis iam diu scribendi officium praetermiserim, quoniam tardissime hinc omnia ad vos perferuntur. Nulla ingenii lumina, nullum ornatus florem invenies; omnem animi commotionem et alacritatem illam haec tempora nobis eripiunt. Si quid igitur erit, quod doctissimas aures tuas offendant, malitiam horum temporum excusabis et me apud clarissimum virum Danielem Stibarum pro singulari humanitate tua defendes. Si tranquillitas erit, dabo operam, ut proximo elegantiora et paulo maturiora ad vos mittam. Lutetiae Parisiorum Non. Jul. a. MDLI.“

Ad Montepessulanos recessus priusquam se referrent, Oceani visendi cupido iuvenes incessit. Rothomagum igitur, celeberrimum Normandiae emporium, profecti sunt. Inde Sequanam usque ad ostia secutis, cum parvulae naviculae sese commisissent et nimis alte proveherentur, usu venit, ut violentia procellae sub undis paene submergerentur. Tum denique ad academiam contenderunt, ubi una cum alumnorum grege Petrus medicinae atque botanices artem summo ardore colebat. Quamquam interdum celebriores Galliae Narbonensis urbes Nemausum, Arelatem, Massiliam, Avenionem perlustrabant multaque et molesta etiam, bello iam inter Henricum II. et Carolum V. gliscente, perferebant; atque adeo in capitis discrimen vocati sunt. Neque enim multum abfuit, quin propter carnis esum apud homines fidei catholicae addictos vetitum in sanctissimae inquisitionis manus inciderent. Ceterum ad camenas quoque Lotichium interdum otio oblato se recepisse elegiae eius nonnullae testantur, quibus omnibus terrae pulchritudinem, hominum mores ac studia, antiquissimorum temporum monumenta versiculis haud illepidis depingit, velut Eleg. lib. II, 6: Ad Montem Pessulanum; lib. II, 10: De monumentis in agro Nemausensi; lib. II, 11: De peregratione in Hispaniam. Attamen quantaecunque

¹ Apud Burm., ep. lib. I, 7.

amoenissimarum illarum locupletissimarumque regionum illecebrae fuerunt, Germaniae pratis silvisque minus eas sibi placuisse poeta his verbis¹ confitetur:

Quaeque sibi placeat regio: bis munera frugum
 Fertilis hic magno foenore solvat humus.
 Foetibus arboreis sit nulla beatior ora:
 Hos Pallas campos, haec iuga Bacchus amet.
 Ista iuvent alios; ego nostro gratulor orbi,
 Moenus ubi fluvio proluit arva suo.
 Quaque venit, laeto vestitos palmito colles
 Separat, et liquida semper abundat aqua.
 Moenus ab aurora per pingua culta volutus:
 Illic temperies viribus apta meis.
 Sol licet aestivos propior superingerat ortus,
 Sicca vel Icarius torreat arva Canis;
 Frondea secretae praebent umbracula silvae,
 Prataque muscosis fontibus uda sonant.
 O nemus! o valles gelidae! quater ille beatus,
 Quem sopor argutas opprimit inter aves!

In epistula² vero ad abbatem Solitariensem data de Montepessulano haec leguntur: „Loco hoc nihil amoenius, nihil cogitari potest amoenius. Carminum meorum liber secundus Lugduni, ut mihi nuntiatum est, excuditur, quem ad vos, ubi accepero, quam primum mittam. Hiemen nullam habuimus, et per menses quinque unicam tantummodo pluviam. Haec negligenter scripsi nondum satis ex recenti morbo refectus.“

Jam vero in studiis et itineribus omnique delectationum genere peracto triennio Petrus Germaniam cum suis repetiit. Sed cum Franconia illo tempore belli ab Alberto Marchione moti variis turbis quassaretur, Stibarus Maecenas patruelus suos, ne in ipsam perturbationem omniumque rerum certamen atque discrimen inciderent, iam tum Lotichio iterum duce in Italiam mittere constituit. Quam ad peregrinationem dum omnia instruuntur praeparanturque interea ille Camerarium et Melanchthonem et Georgium Fabricium, doctissimum scholae Misenensis rectorem, pie consalutaturus Wittenbergam, Lipsiam, Misenam excurrit. Tum vero Petrus a Stibaro, quamvis acerbam non modo ex immensis Gallicorum studiorum sumptibus, sed etiam ex calamitoso bello rei suae familiaris iacturam fecisset, munificentissimo tamen viatico instructus in desideratam terram discessit. Ac primo quidem Patavium petiit, in qua urbe ob aëris temperiem et litterarum gloriam merito laudata audiendorum causa doctissimorum oratorum, medicorum, iureconsultorum aliquantum temporis considerabat. De hac re audiamus ipsum:³ „Solem mihi videre visus sum novum et totam mundi faciem hilariorem, postquam iis carere molestiis coepi, quae antea non obruebant me tantum, verum etiam conficiebant planissime. Nunc otio tantum abundo, quantum semper optavi. Audio medicos magna cum voluptate viros doctissimos et Robertellum historias et Aristotelem interpretantem. Patavii igitur aliquantisper subsistere decrevi. Sed quidquid egero, faciam te certiore. Paulus Manutius Livium nunc et in eum castigationes magna cum cura excudit. Oden poëtriae Sapphus ab eodem Aldo proxime excusam si non aliunde nactus es, scribas. Curabo, ut ad vos quamprimum perferatur.“

Neque minus luculenter poematis ad amicos missis probavit, quam beatam vitam

¹ Eleg. lib. II, 11; v. 21 sqq.

² Apud Burm. ep. lib. I, 12.

³ Apud Burm. ep. lib. I, 9.

et ab omnibus aerumnis vacuum degere sibi videretur; pertinet huc elegia ad Georgium Sabinum missa, e qua paucos hos versus¹ sumpsimus:

Adde to egregias animas, tot candida vatum
 Pectora, constanti quae tibi mente vigent.
 Jam tibi se Bembus, iam se Dis proximus offert
 Frastorius, Bembo par in honore suo;
 Et cum Flaminio puri Nangerius oris,
 Arbiter intactae cultus uterque lyrae.
 Atque alii, quibus hic olim comes ire solebas
 Aonas in montes Castaliumque nemus.
 Forsan et haec inter nostri tibi mutua cura est,
 Quidque sedens Veneto litore, quaeris, agam.
 Scilicet hic obitus rerum contemplor et ortus,
 Et quibus e causis ordine cuncta fluant:
 Et disco, quidquid medicos mare gignit ad usus,
 Quidquid et omnifero terra benigna suo.
 Saepe iuvat, solem gelida vitare sub umbra,
 Multaque de plantis arboribusque loqui.
 At me praecipue felix delectat hyacus,
 Et platanus, manibus consita, Bembe, tuis.
 Nam platanum Bembus, patriae non immemor, olim
 Transtulit e campis, Sicelis Enna, tuis.
 Saepe levi remo Venetas lustrare paludes,
 Saepe libet totos ducere rure dies;
 Solarique aestus in gramine, sicubi forsan
 Laurus odoratas explicat alta comas.
 Illic Arquatum quacumque e rupe saluto,
 Et veneror cineres, culte Petrarcha, tuos.

Mox autem pestis contagio Patavii oborto — de qua immunda lue in carmine² eloquentissime composito ad Hilarium quendam, ut medicus ipse refert Lotichius — Bononiam, venerabilem studiorum matrem, cum sodalibus se recepit; atque hac quoque in academia Stibarum, quae erat eius munificentia, quidquid pro studiis ac vita requirebatur tam liberaliter praestitit, ut in omnium rerum abundantia et iuvenilis aetatis iucunditatibus et litteris vacare illis licuisse videatur.³ Apparet autem Lotichium illud maxime philosophicorum studiorum genus, quod naturale vocant, amplexum esse; quod quo subtilius disceret frequentissime multorum hominum eruditorum disputationibus lectionibusque intererat. Ac ne quis forte umbratilem vitam degisse eum opinetur, haud raro illum ad pulcherrimos Italiae regiones et ad spectanda oppida et priscorum temporum monumenta excurrisse ex scriptis Petri sodaliumque cognoscimus. Ipsam Bononiam his lepidis iambis⁴ salvere iubet:

¹ Eleg. lib. III, 4. v. 17 sqq.

² Eleg. lib. III, 6.

³ Erat illa aetate Bononiae Kittingensis quidam Francus iurisprudentiae studiosus, academico illo cognomine, si quisquam, dignissimus *Bemooster Bursche*. Namque patrimonio suo satis amplo contempto nullis suorum precibus commoveri potuit, ut ab amoenissimo Bononensium Musarum recessu sese avelleret, sed cum totam vitae aetatem inter Lotophagos degere constitisset, ita semper consilium suum secutus est, ut gravis et venerabilis iuris discipulus in almae matris praecinctu septuagenarius diem supremum obiret. Germanae gentis iuvenibus semper *πατήρ ὡς ἡπίος ἦεν* omniumque officiosissimus curator.

⁴ Carm. lib. II, 13.

Musis amica, dedicata Gratiis,
 Flos urbium Bononia!
 Seu culta mavis nuncupari Felsina,
 Utroque pulcra nomine;
 Salve, o venusta civitas, quam vitreo
 Rhenus pererrat agmine.
 Jam quinta lux est, cum beatis moenibus
 Pedem coactus extuli,
 Marium meum Glauburgiumque candidum
 Laeva secutus alite;
 Mutinamque vidi et Rhegium et ferocium
 Parmam virorum patriam.
 Ut cervus, ampla cum perambulat iuga,
 Dum saevit aestus impotens,
 Suspirat uda rivulis cubilia
 Reconditarum vallium:
 Sic te, misellus heu viator, intimo
 Desideravi pectore.

Dies amara, nox amarior fuit,
 Nox duri amoris conscia.
 At nunc recurro, spes et o quies mea,
 Fessus medullis omnibus,
 Testor deorum numen immortalium,
 Jubarque solis aureum:
 Non laetior carissimam reviserem
 Post lustra quinque patriam.
 Vix cerno turres, incipitque maximo
 Cor exsilire gaudio;
 Animus liquescit, uberesque lacrimas
 Dulcis voluptas exprimit.
 I, sparge flores, i, meas, puer, tege
 Molli fores amaraco.
 Quid, otiosa, murmuras vicinia?
 Non scire fas est omnia
 Salve, o venusta ter quaterque Felsina,
 Et incolas tuos bea!

Cum tam multis discendi animique litteris et alendi et exhilarandi opportunitatibus uteretur Lotichius et firma atque integra esset valetudine, quae est humanarum rerum incerta condicio, fatali quodam errore ei accidit, ut fortunae invidiam experiretur et aliena culpa e vita prope eriperetur. Fuit enim inter eos qui Patavii peste oborta Bononiam confugerant, iuvenis quidam nobilis, Bavarus, tam singulari formositate, ut hospita maximo eius amore teneretur. Quae posteaquam aliam quandam mulierculam sibi praeferri sensisset, *φιλῆρον*, quo sibi hominis animum conciliaret, Bavaro temperavit. Id Petrus sibi appositum esse opinatus inter prandium absorbit statimque in febrim incidit tam malignam, nonnihil temporis ut in vitae periculo versaretur. Neque unquam postea pristinam prosperitatem valetudinis recuperavit. Hac in calamitate immerita quamvis animus tristitia atque luctu afflictus esset, nihilominus dulce illi camenarum commercium aliquid solatii afferre potuisse carmen¹ Joanni cuidam Sambuco Pannonio inscriptum testatur. Verum non ita multo post recentem cladem alterum gravissimum vulnus secutum est, Danielis Stibari, liberalissimi Maecenatis, praematura mors, quam his versibus² luget:

Nunc tecum mea vote leves abiere per auras;
 Nunc mea spes omnis funere fracta tuo est;
 Deliciisque animi toto de mente fugatis,
 Cogor, in extrema vivere tristitia:
 Qualiter, hibernae dum sentit frigora brumae,
 Albus ad Eridani flumina moeret olor.
 Defluit ex oculis uberrimus humor, ut olim
 Liquitur Alpinis mox revoluta iugis.

Sparge, puer, virides, heroum insignia, lauros,
 Et dic: Has cineri spargo, Stibare, tuo,
 Ut gerit aeternos formosae frondis honores
 Laurus, et umbrosas explicat alta comas:
 Sic viret, et coelo te gloria laudibus aequat,
 Gloria, quae cineres excubat ante tuos.
 Spiritus, e tenebris translatus in arva piorum,
 Vivit et aeternae munera lucis habet.

¹ Eleg. lib. III, 9.

² Eleg. lib. III, 7. v. 37 sqq.

Tot igitur malis uno fere tempore irruentibus afflictum Lotichium ac paene fractum carissimae patriae tantum desiderium inuasit, ut quam primum posset ex Italia excedere cogitaret, relicto consilio adeundae Romae Neapolisque, quod quidem paullo ante animo agitasse videtur. De hac autem re cum patruo in epistula¹ simpliciter et sincere conscripta hisce verbis egerat: „Confido non defuturam aliquando occasionem testificandi animi erga te mei, ut omnes homines intelligant tot tantaque beneficia in immemorem vel ingratum minime esse collata. Nunc autem consolor me pollicitationibus Dignitatis tuae, cuius voluntatem ex Christiani fratris litteris proximis intellexi. Quod si per sumptus id fieri possit, Florentiae etiam hac aetate in Xenodochio publico artis opera exercerem, deinde auctumno insequente ad vos me conferrem. Sed non audeo quicquam amplius a Dignitate tua petere, a qua omnia maxima multis iam annis tributa sunt. Litteras vestras, quod superest, ardentissime exspecto, quas ubi accepero, quid acturus sim, facio vos certiores. Romam et Neapolim nondum vidi, quas urbes perlustrare constitui, priusquam Italia excedam.“

Itaque summis in facultate medica magna cum laude acceptis honoribus² Lotichius Bononia profectus in Germaniam reverti properavit, et primum quidem reverendo patruo ceterisque amicis Solitariensibus consalutatis Virceburgum contendit, in qua urbe illo ipso tempore Melchioris Zobelli episcopi caede omnia fusa turbataque iuvenit. Is a nonnullis Guilelmi Grumbachi equitis Franc. militibus scelerata aggressionem prope ipsas oppidi portas erat trucidatus. Quod atrocissimum facinus Petrum, quippe qui a prima adulescentia amicissimus illi viro fuisset, tanto affecit moerore, ut libello protinus in lucem edito vindex defuncti existeret. Ceterum dissertam illam atque elegantissime soluta oratione compositam narratiunculam adulescentibus potissimum vehementer commendamus, cum ad puritatem paene Ciceronianam, si recte sentit Burmannus, in ea Lotichius accessisse videatur.

III.

Ita dum Lotichium amici valetudinis reficiendae causa in Franconia retinere student latiusque iam per Germaniam eius nomen et ingenii et animi laudibus clarissimum manat, anno 1557 Melancthonis gravissima auctoritate permotus Palatinus princeps, Otto Henricus, Septemvir, Petrum luculentis condicionibus propositis invitavit, ut artem medicam in academia Heidelbergensi doceret. Quam vocationem, etsi eodem

¹ Apud Burm. ep. lib. I, 14.

² Silentio hoc loco praeterire nolui, a. 1833 factum esse ut in eadem academia Bononiensi Lotichius quidam Solitariensis ex eadem gente Lotichiana artium liberalium magister constitueretur, quem quidem ipse puer memini saepissime in monasterio Solitariensi convenire. Is cum viris de terra Hessiaca bene meritis annumerandus sit, subiungere liceat quae oppidi Solitariorum praesul in epistula nuper ad me data benigne de Lotichio illo mecum communicaverit: „*Dr. Lotich war Erzieher des Prinzen Friedrich Napoleon Bacciocchi, dessen Vater mit der ältesten Schwester des Kaisers Napoleon I, Elise Marianne, verheiratet war und nach dem Jahre 1815 in Bologna lebte. Lotich ist daselbst mit der Mehrzahl der Napoleoniden in Berührung gekommen, namentlich auch mit Napoleon III. Sein Zögling starb am 7ten April 1833 in Folge eines Sturzes vom Pferde in Rom. Nachdem Lotich in Bologna promoviert hatte, lebte er als Litterat in Deutschland. In den Jahren 1848—1850 war er Mitglied der Kuhhessischen Ständeversammlung und zählte zu der demokratischen Partei. † 1872. — Weibliche Glieder der Familie Lotich existiren noch in Schlüchtern, männliche jedoch desselben Zweiges nur in Nordamerika.*“

fere tempore eiusdem generis cathedra a rectore et senatu universitatis Marburgensis¹ ei offerebatur, ubi ipse iuvenes ad prima bonarum artium studia se contulerat, eo promptiore animo accepit, quia cum Jacobo Micyllo sic denuo se vivere veteremque necessitudinem renovare posse laetabatur.

Qua inexpectata paene fortuna factum est, ut egregii illi duo viri non modo, ut antea, pietatis vinculo ac similitudine quadam studiorum, verum etiam publici muneris consociatione perpetua coniungerentur; et primum inter omnes Micylli sodales locum posthac Lotichium tenuisse plurima cum aliorum tum ipsorum epistulae probant. Ceterum hoc loco non praetermittendum esse puto, quin quam bene Otto Henricus, quem ad fovendum musarum artiumque liberalium cultum natum fuisse dixeris, de administranda academia Heidelbergensi emendandaque eius condicione et statu litterarum mereretur, brevi exponam. Namque Melanchthone, Micyllo aliisque adiuvantibus id unum appetebat, ut a scholasticorum, quos appellant, barbarie, quam multi mordicus retinebant, academiam purgaret funditusque instauraret. Quam qualem invenerit ex oratione Georgii Joannis,² Electoris fratris, coram universo corpore academico habita patet, e qua sumpta haec pauca verba adicere mihi liceat: „Nullam, inquit, reperit Elector Academiae formam, leges barbaras aut inutiles; aliae incuria custodum neglectae iacebant aut propter temporum varietatem minus ad praesentem rerum statum accomodatae erant; nonnullae veluti longo usu attritae et effoetae consuerant; pleraque privilegia vetustate obliterata, canitiae consumpta: omnia dissoluta, dissipata, confecta, breviter nihil aliud fuit, quam chaos, rudis indigestaque moles.“

Sed ut ad Petrum Lotichium redeamus, summo ille ardore, imminuto iam corporis robore artem suam docebat³ et senatorio munere identidem eum functum esse ex academiae annalibus comperimus. At neque contigit clarissimo viro, ut diu grata amicitia et consuetudine frueretur, neque munus tantopere expetitur multos per annos administrare potuit. Nam primus quidem diem obiit supremum 1558 d. Jan. 28 Jacobus

¹ Rector, Decanus et Professores Univer. Marburgensis P. Lotichio S.

Vacat iam apud nos, ornatissime vir, lectio medica, propter diutinam et pertinacem Doctoris Dryandri valetudinem, de cuius curatione omnes dubitamus, non credentes, humanitus fore, ut bonus vir ex ea unquam emergat. Cum autem medicina Dei Opt. Max. donum sit praestantissimum, in hoc mortalibus concessum, ut humani generis calamitates, depellendis morbis et tuenda corporum valetudine aliqua ex parte mitiget, non putavimus committendum, ut lectio tam salutaris et ad conservandam corporis sanitatem necessaria diutius in Schola nostra intermitteretur. Eoque coepimus cogitare de medico aliquo docto, exercitato et humano, quem ad nos arcesseremus. Inter quos cum tu nobis occurreris et a quibusdam viris ita nobis commendatus sis, ut spem haud parvam conceperimus te Scholae atque adeo patriae nostrae legendo et curando prodesse posse, amore studioque erga scholam patriamque nostram adducti non dubitavimus — consentiente etiam illustrissimo principe nostro — has ad te dare litteras, plurimum rogantes, ut profitendi munus apud nos haud gravate suscipias et cum hoc nuncio, eo nomine a nobis a legato certo respondeas, quibus condicionibus apud nos admitti velis. Honesta tui habebitur ratio in loco, nostro quidem iudicio non contemnendo, ubi pretio satis tolerabili vivere et praeter salarium lectionis non ita poenitendum fructum ex praxi capere poteris. Quam mentem et voluntatem nostram te latere nolumus rogantes, vicissim tuam nobis libere aperias, Vale longum. Ex academia nostra, XXVIII Septemb. a. MDLX.

Apud Burm. ep. lib. I, 31.

² Oratio de scholae Heidelbergensis instauratione a Georgio Joanne, Comite Palatino Rheni Duce Bavariae ac Comite Veldentio, habita d. 28. Dec. 1558. Hautz, Geschichte der Universität Heidelberg. 1862 vol. II, pag. 16.

³ Cessavisse paene illo anno professorum operam et studium probare videtur Lotichii epistula ad patrum data 27 d. Maii, ubi „Schola, inquit, fere nulla est; neque enim aut doctores aut discipuli officium suum faciunt. Ego Hippocratis Aphorismos publice interpretor, idque facturus sum ad reformationis (academiae) usque tempus, si modo ulla futura est reformatio.“

Micyllus, quem vixdum elapso biennio secutus est Philippus Melanchthon. Lotichius utriusque viri laudes amplissimis celebravit carminibus,¹ quae ingenium eius vere poeticum tam praeclare ostendunt, ut digna ea existimarem, quae integra cum lectore, iuveni potissimum, communicarentur, ni libelli nostri angustiae obstarent.²

Jamque ipsum Lotichium, ut ad tristem narrationem procedat expositio, fata manebant. Malignus enim ille morbus de more rediit, et acuta febre consumptus placide ultimum vitae diem clausit a. d. VII Non, Nov. 1560, triduo postquam aetatis annum alterum et tricesimum attigerat. Quoniam autem ut de moribus atque indole, ita etiam de forma corporis Petri Lotichii atque habitu prolixissime egit Joannes Hagius, qui per totam vitam familiaritatis usu cum illo erat coniunctus ex libro eius haec paucissima sumpsisse sat erit. Tradit enim Hagius, fuisse Petrum statura honesta, virili, totum corpus laboribus perferendis ut *ἐγκρασίῃ* bona, sic valetudine etiam praeditum robusta et bona. Fuscus oculos, suaves, non vagos; frontem exporrectum semper et hilarem; sensus ad summum vegetos, actiones omnes promptas ac expeditas. Animum denique quamvis excelsum, modestum tamen ac mire humilem.³

IV.

Lotichii in ipso aetatis flore extincti praematurum obitum non modo amici cognatique, verum etiam per universam Germaniam quicumque similitudine studiorum cum eo coniuncti erant, deploraverunt. Georgius Cracovius⁴ defunctum esse amicum Joachimo Camerario hisce verbis⁵ annuntiavit: „Nimis verum est Homericum illud: *Νούσον γ' ὄπως ἐστὶ Διὸς μεγάλου ἀλέασθαι*, vir clarissime. Scis Petrum Lotichium Secundum ingenio, doctrina et modestia singulari praeditum in Italia quondam venenum hausisse et postea letaliter decubuisse. Is morbus Cal. Novembr. proximis valetudinem illius iterum affligere coepit, cum pridie eius diei Heidelbergae amanter familiariterque versatus esset. Tantus autem ardentissimae febris aestus fuit, ut *δεινὰ συμπτώματα* per biduum in eo observata esse quidem perhibeant. *Ἐν κρίσει δὲ νόσον* rationis prorsus compos edita pia confessione placide VII. die Novemb. vitam finivit. Lugubris profecto Republicae et Ecclesiae casus propter excellentem ingenii ipsius memoriaeque vim, ac condendi, seu potius fundendi carminis usum. Tam cultis enim et bonis ingenii Ecclesias orbari nostras in hac postrema mundi senecta, ominosum duco. Spiraе, XV. Novembr. MDLX.

¹ Eleg. lib. II, 2., IV, 4.

² Caspar Peucerus, Melanchthonis gener, qui Wittenbergae mathematicen docebat, accepto Micylli mortis nuntio ad Lotichium haec scripsit: „Micylli obitum magis deploro quam quisquam. Illo extincto tibi praecipue cura gubernationis studiorum philosophicorum incumbet, quam si tu neglexeris, quid de academia sit sperandum magnopere non video. Nobis circumseptis undique rabiosis canibus aures complentur allatrato perpetuo.“

Idem Peucerus, cum facultas artium Melanchthonem coena lauta, ad quam Lotichius quoque Secundus invitatus erat, honoravisset, postero die, postquam eximium epularum splendorem laudibus extulit: „Philosophi, inquit, sunt senatores Facultatis Artium; propterea intelligunt etiam voluptates.“ Hautz, Gesch. der Un. H., vol. II, pag. 16.

³ Caelebs L. vixit. Ceterum pharmacopoeum quendam Heidelbergensem filiam egregiam et formosam cum dote satis ampla Petro obtulisse narrant. Hunc autem modeste renuisse, „quod virginem ingenuam ipse brevis vitae et termini sibi imminentis conscius spe falsa coniugii stabilioris lactare nollet.“

⁴ Georgius Cracovius, vir non solum civilium prudentiae, verum etiam elegantioris doctrinae laude clarus, cum Augusti, Saxoniae Electoris, consiliarius esset, Calvinii dogmata amplexus a Lutheranae doctrinae sectatoribus accusatus et in carcerem coniectus est; deinde in tormenta datus hoc supplicii genere interfectus crudeliter periit a. 1575. cf. Brandes, der Kanzler Krell. 1873. p. 32.

⁵ Apud Burm. ep. lib. I, 1.

Exstant autem praeterea praestantissimorum hominum epistolae et epicedia cum latino tum graeco sermone composita, alia iudicia plurima, quibus omnibus defuncti poetae elegantissimum ingenium honorifica memoria prosequuntur. Atque quoniam in hoc libello neque apponere multa Lotichianae Musae specimina neque perlustrare singula potuimus, unde qualis ille poeta fuisset appareret, attulisse forsitan sufficiet virorum quorundam aut auctoritate graviorum aut humanitate politiorum testimonia. Inter quos quidem primus nominandus est Joachimus Camerarius, qui in copiosissima epistula¹ ad Erasmus Neustetterum data cum alia multa tum hoc profert iudicium: „Fuit Petrus Lotichius talis poeta, qualem sua aetas et nostra natio alterum non tulit. Hoc me pronunciantem affirmare, in quam ab aliquibus partem accipiatur, non vereor. Eruditos enim mihi assentiri scio omnes. Habuerunt superiora tempora Helium Eobanum Hessum, cum quo a prima adolescentia mea familiarissime vixi et quem in suo genere regnasse docti fatentur. Huius aetati et famae supparem nuper amisimus clarissimum virum Georgium Sabinum, cuius et facilem et prudentem et politam Musam Italia quoque est admirata. Multi autem nunc etiam declarant egregiis operibus et scriptis hac in parte ingenii et studii sui efficacitatem. In quibus facile eminet Joannis Stigelii, sollertia admirabili et incredibili industria et arte, exercitatione et usu summo perfecta absoluteque poemata. Sed et Eobanus et Sabinus, si viverent, cum omnia in Lotichii scriptis magnopere probarent, tum elegantia et suavitate atque exprimendi venustatis similitudinem contentione se ab hoc alicubi superari non negarent. Non modo autem effulsit iste quasi nitor pulcerrimae facultatis eruditionisque egregiae in Lotichio, sed multo illustrior fuit cum integritas, tum suavitas morum. Quae tantae laudes fulciebantur et cumulabantur maxima ac sollicita pietatis cura, quam Graeci tum *κηρίδα*, tum *κεφάλαιον ἀρετῆς ἀπάσης* perhibere solent.“

Idem amplissimo epicedio Graeco defuncti amici memoriam prosecutus est.²

Philippus Melanchthon quid de Lotichio poeta admodum iuvene sensisset iam supra demonstravimus.

Georgius autem Cracovius in funebri elegia eum celebrat,³ e qua hosce versus sumpsimus:

Optima quaeque prius rapit inclementia mortis,
 Ingeniis semper dira minata bonis.
 Sic quoque Lotichius medio sub flore iuventae
 Occidit iste suum, proh dolor, ante diem.
 Multos progenuit Germania culta poetas,
 Quos omnes longum commemorare foret,
 Multos Ausoniae, multos quoque Gallica tellus,
 Ingeniis gaudens utraque terra suis.
 Lotichio at palmam Musae tribuere Secundo,
 Hic vatum princeps et coryphaeus erat.
 Sic tu censebas, studiis excolte Micylle,
 Audivi ex ore hoc, sancte Philippe, tuo.
 Omnia certatim Charites tibi dona, Secunde,
 Et vires numeris contribuere tuis.
 Petre Secunde, quidem gaudebas nomine tali,
 At nulli vatum, Petre, secundus eras.

¹ Apud Burm. ep. II, 8.

² v. Append.

³ Apud Burm. vol. II, p. 231.

Ἐνθάδε Λωτιχίου νῦν ὅσπερ κείται ἀοιδοῦ.
 Ὅς ζῶσιν μετῶν ἄγλαος ἔσκεν ἀνὴρ,
 Χρήσιμος ἱερὸς πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων
 Τῇ φυσικῇ γνώσει καὶ κορυφαῖος ἰῶν.
 Μοῖρ' ὀλοή, τοῖον ἢ ἤρπασεν ἄνδρα, ὃς ἄρχων
 Πάντων ποιητῶν καλὸν ἔεισε μέλος.
 Αὐτοῦ μὲν τιμὴ εἰς οὐρανὸν εὐρὴν ἰκάνει,
 Ἢ δὲ διδασκαλίῃ ἄσπον ἦσι νεφῶν.
 Νῦν Μοῦσαι περιπλαζόμεναι γοάουσι ἔρημαι
 Αἰὲν ὀδυρόμεναι Λωτιχίου θάνατον.
 Καὶ Ἐλικωνιάδες, Νίκρον¹ νύμφαι τε πρὸς ἕδωρ
 Πλήθουσιν φωνῇ ἄλσα πάντα ἐῆ.
 Ἀλλ' οὐπὼς θανάτου δύνανται τίς ἀλύξει,
 Οὐδεὶς τῶν μερόπων τὸν μόρον ἐκφυγεί.
 Εὐχόμεθ' ὡς αὐτῷ παρὰ Χριστοῦ ἀφθίτα δῶρα
 Αἰδιότης ζῶης ἡδὲ δικαιοσύνης.

Idem graeco sermone composuit hoc epitaphium, quod eodem loco apud Burmannum² invenimus:

Porro J. Augustus Thuanus, celeberrimus Galliae historiarum scriptor, de poeta nostro haec praedicat:³

„Omnium meo quidem iudicio, qui secundum Eobanum Hessum in Germania poetice attigerant, praestantissimus fuit Petrus Lotichius.“

Iam vero Petrus Burmannus Secundus Batavus, peritissimus et veterum et recentiorum poetarum iudex, tantum tribuit Lotichii memoriae, ut carmina eius omnia incredibili quadam sollertia atque industria emendata explanataque ediderit. Is in doctissima praefatione postquam Philippum Melanchthonem et Joachimum Camerarium omnis eruditionis magistros et communis patriae praeceptores suis extulit laudibus, in hunc modum pergit:

„Inter eorum discipulos vel aetatis consortes, qui ex poetici studii cultura famam immortalem consecuti sunt, eminuerunt praesertim Eobanus Hessus, Georgius Sabinus Joannes Bocerus, Georgius Fabricius Montanus, et his omnibus maior P. Lotichius Secundus, qui a natura ad poesin factus, suavitate et elegantia carminum, numerorum dulcedine ac concinnitate, admirabili et fere invidendo nativae simplicitatis cultu, sermonis puritate, venae ubertate ac copia, compositionis dexteritate et praesertim artificiosissima veterum poetarum imitatione, sive in elegiis ad inexhaustam Ovidiani ingenii fertilitatem se componat, vel candidum Tibulli nitorem effingat, sive ad Propertianam eruditionem se exserat, vel Catulli veneres in hendecasyllabis exprimat, aut denique Vergilianam in eclogis simplicitatem gravitate mixtam aemuletur, communi omnium consensu poetarum Germanorum et aliarum forte nationum poeta primus et princeps appellari meruit. Hanc enim laudem prae ceteris consecutus est Lotichius maxime per felicissimam et paucis concessam optimorum e veteribus imitationem, quorum diversas dotes ac virtutes, dexterrima artificii variatione, ita semper miscuit ac temperavit, ut difficile dictu sit, quemnam ex poetis, qui supersunt, elegiacis antiquis sibi praecipue exprimendum proposuerit. Licet enim passim et ubique Ovidii vestigiis insistat proxime, ad Tibullianum tamen ingenium, ut inter Italos Strozza, Bembus, Molsa et Basilius Zanchius, maxime se composuit et poetam hunc feliciter ubique aemulatur, quem reliquis omnibus elegiacis et ipsi quoque Nasoni praetulit.“

¹ Neckar.

² Lot. Poem. vol. II. 233.

³ Histor. II, c. 26.

Atque eundem fere in modum plurimi XVI et XVIII saeculi critici de Lotichio iudicant, qua tamen in re cavendum est, ne disertissimorum illorum virorum grandiloquentiae iusto plus tribuamus. Quod ad recentiorum criticorum sententias attinet, Ottonem Jahn in scholis quas Bonnae a. 1862 habuit de humanitatis studiorum historia Lotichium iuvenibus nobis commendasse meminimus. Et in dissertatione¹ eiusdem, ubi de claris XVI saeculi philologis ac poetis in universum agitur, legimus:

„Eobanus Hessus, Jacob Micyllus, Petrus Lotichius, Paulus Melissus können sich auf jedem Parnass sehen lassen.“

Joannes Classen in celeberrimo suo de Jacobo Micyllo vita libello² Petri laudes his verbis est amplexus:

„Unter den Schülern seines (Micylli) zweiten Rectorats ist als der ausgezeichnetste der als trefflicher Dichter berühmte Arzt Petrus Lotichius Secundus anzusehen. . . Lotichius hat auf einem bewegten Lebensgange, in welchem er zwar den ärztlichen Beruf verfolgte, doch mehrfach in die Stürme kriegerischer Unruhen hineingezogen wurde, an der Liebe zu den klassischen Studien, welche Micyllus ihm eingeflößt, festgehalten und in der schönen Gabe der poetischen Nachbildung der besten Muster, welche er unter seiner Leitung ausgebildet hatte, einen Quell reicher Freude und Erhebung gefunden.“

Atque alio loco:

„Petrus Lotichius hat durch den Glanz und Schmuck seiner Verse den dichterischen Ruhm seines Lehrers Micyllus verdunkelt. Dennoch möchte ich diesen höher stellen, was den aus dem Innern strömenden Erguss und die leichte und anmuthige Gestaltung seines Ausdrucks betrifft.“

Denique hic inserere iuvat quae gymnasii Hersfeldensis professorum unus, Henricus Wiskemann in epistula nuper benigne ad me data de poeta nostro praedicet:

„Des Petrus Lotichius Gedichte haben meinen ganzen Beifall. Gedanken und Sprache gefallen mir sehr gut. Das Latein ist vortrefflich und weit besser als in vielen holländischen, französischen und italienischen Lateinern und Gedichten der Zeit. Die Gedichte gehören zu dem Besten, was die neuere Zeit auf diesem Gebiete geleistet hat.“

Prolatis his gravissimorum iudicum testimoniiis minime necesse est tota illa, epithiorum, epicediorum, elogiorum farrago hoc loco perlustretur, quam Burmannus Lotichii memoriae colendae cupidus in amplissima sua editione collegit. Praeterea Lotichiana carmina elegantissimi suavissimique sermonis prae se ferre specimina purique animi candorem ostendere, nemo est qui non videat. Atque cum praestantissimum quemque in elegiaco genere Ausoniae vatem Catullum, Ovidium, Propertium, Tibullum, — Vergilium in eclogis — in versibus suis condendis feliciter Lotichium imitatum esse constet, ii quid sibi velint nescio, qui Burmanni exemplum secuti, quemnam potissimum veterum praeceptorem sibi proposuerit, summo acumine probare studeant. Namque ipse si interrogari posset, nescire se haud dubie responderet.

Omnia quae supersunt Petri Lotichii centum viginti quattuor poemata continentur sex libris elegiarum, duobus carminum, praecipue hendecasyllaborum, quinque eclogis, tribus epithalamiis. Multos in illis suae aetatis viros illustres celebravit, ut Jacobum Micyllum Eleg. lib. II, 1, lib. IV, 2, lib. VI, 29; Joannem Hagium medicum Eleg. lib. I, 7, Carm. lib. I, 2; David Chytraeum Eleg. lib. II, 2; Joachimum Camerarium Eleg. lib. II, 4, lib. IV, 1; Joannem Stigelium poetam Eleg. lib. II, 10; Danielelem Stibarum Eleg. lib. III, 7; Erasmus Neustetterum Eleg. lib. III, 2; Philippum

¹ Aus der Alterthumswissenschaft. Bonn 1868. p. 21. ² Jac. Micyllus, p. 155. ³ Jac. Micyllus, q. 180.

Melanchthonem Eleg. lib. IV, 4; Guilelmu m Hessorum principem Eleg. VI, 28; Ulricum Huttenum Eleg. V, 22.

Aliis poematis Italiae, Germaniae, Galliae urbes, monumenta, fontes, regiones cecinit, ut Magdeburgum Eleg. lib. II, 4, lib. II, 36; Montem Pessulanum Eleg. lib. II, 6; Patavium Eleg. lib. III, 4; Bononiam Carm. lib. II, 13; Acin fontem prope Solitaria Eleg. V, 8.

Nec desunt quibus, etsi Tibullianam aequare dulcedinem videntur, animus Christianus celebret Christum, ut Eleg. V, 9; Carm. lib. I, 10; Christi diem Eleg. V, 11.

Quam parcus autem Petrus puellarum cultor fuerit, inde colligitur quod quattuor tantum carminibus adamatarum a se virginum formosarum laudes cecinit, hac una certe in re veterum illorum poetarum elegiacorum dissimillimus. Inter quae celeberrimum est de Claudia quadam ex Celtiberis Eleg. lib. II, 9.

P. Vergilii Maronis diem natalem hendecasyllabis celebravit Carm. lib. I, 11. Eclogarum tertia inscripta est Ottoni Henrico, Principi Palatino, nobilissimo Musarum fautori et instauratori academiae Heidelbergensis. Postremo invenitur Epithalamium satis operosum in nuptias Joannis Guilelmi, ducis Saxoniae et Susannae Dorotheae, comitis Palatinae. Nec volenti sane nec speranti evenit Lotichio, ut ob elegiam quartam lib. II. de obsidione urbis Magdeburgi — a. 1551 — conditam a multis pro propheta haberetur, qui de Magdeburgo a. 1631 everso vaticinatus esset. Id carmen a Martino Opitio in linguam Germanicam versum Bremae pro vaticinio editum fuisse testatur Theodorus quidam Hasaeus in Bibliotheca Theolog. Bremensi Tom. II, pag. 217.

Ceterum ne solutam quidem orationem aut contempisse aut neglexisse Lotichium cum epistulae eius multae, tum narratio illa, cuius iam supra mentionem fecimus, de caede Melchioris Zobelli probant, quae quidem omnes eae sunt, ut quicumque idonei harum rerum sunt existimatores, haud infeliciter in iis ad elegantiam Ciceronianam Petrum se composuisse consentiant. Quae cum ita sint, profecto non mirandum est, quod non defuerunt inter gymnasiorum moderatores, qui Lotichii opera digna esse iudicarent, quae etiam adolescentibus proponerentur, velut Joannes Schreberus, scholae Misenensis rector, in discipulorum suorum gratiam selecta quaedam Lotichiana carmina praelo subicienda curavit a. 1702, „ut eadem in deliciis haberent cumque antiqui temporis vatibus studiose lecitarent.“ Fridericus autem Friedemannus, ut supra memoravimus, parabilem eandemque nitidissimam editionem curavit poematum, quibus si quis editunculam epistulis, quotquot codices manuscripti et Hamburgenses et Virceburgenses exhibent, auctis adicere velit, de suavissimo poeta ille optime merebitur.

STEMMA LOTICHIANUM.

